

2469

A S C E T I C I.

2470

cionis ostendit, lucem vidit Parisiis 1512. 8. et Antverpiae 1611. 8. ut habes in Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 793. ubi pluribus de No- stro.

V. fol. 207. p. 2. *Incipit tra- ctatus boneventure de triplici uia. Hoc modo: cum omnis scientia gerat trinitatis insigne precipue illa que docetur in sacra scriptura, debet iure reputari vestigium trinitatis &c. omnia hic Tria: Intellectus moralis, allegoricus, anagogicus, triplex actus Hierarchicus, Purgatio, Illuminatio, Perfectio, triplex Exercitium, legendo, meditando, orando, item Stimulus conscientie Radius intelligencie, Igniculus sapientie &c. Habet quidem Bonaventura his adfinia in sua Theologia mystica; ipsum vero Tractatum praesentem in ejus Operibus non invenio. Ad calcem: Georius schetzel de karelstat scriptor buius libri.*

DCXLV.

749 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 18. 8. inscribitur: *Pulcherrime Vtilissimeque Admonitiones vel Instructiones, per Ambrosium Holtzl in celebri Monasterio Rot tunc temporis agentem inscripte Anno (15) 57. In- sunt vero: Alphabetum paruum Boni Monachi in Schola dei ordinatum a Sancto Bonaventura Doctore Seraphico, Versus quidam de legendis Horis Canonicis, Instructio Sacerdotis cui commissum est Missas celebrare, Dicta quaedam Patrum, Computus denique chronologi- Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

cus Temporum ab Adamo usque ad exitum Abrabami lingua vernacula exaratus anno 1540. Levis omnia momenti, de quorum Compilatore nihil adnotatum reperio, neque dispicio, Rotamne ille Suevicam, Collegium Praemonstraten- sium, an Bavaricam, Coenobium D. Benedicti, designet, quae bello tricennali devastata perperam adferitur in *Lex. Univ.* cum hodie dum floreat, ut habes in *Monum. Boic. T. I. p. 335.*

DCXLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 692 Folior. 174. 4. nitide ab una manu exaratus habet sequentia: I. *Incipit prologus libri sequentis qui dicitur speculum prelatorum.* Ejus initium: *Quoniam consulitur aut precipitur Proverbior. V. per sapientissimum Salomonem &c.* Opusculum ipsum VII. Capitulis constans infit: *Scripturus per modicum ad mei ipsius ymo omnium prelatorum salutarem instructionem &c.* Itaque Praelatum audis, cumque in Prologo *Statuta Ordinis Carthusien- sium* citentur, et in Opusculo mox referendo fol. 36. haec verba legantur: *Hec omnia supradicta dilectissimi intelligentes et opere perficientes veri carthusiensi sumus verique abrahe patris obedientie filij &c.* palam fit et hujus et sequentium *Speculorum* Autor *Jacobus Gruitroede Leodicensis* Carthusiae Prior a. 1472. fato functus, quem hos Tractatus composuisse tradunt *Trithemius, Theod. Petrejus et Job. Fr. Foppens.* Addit postre- mus

L 111

mus